


IN FUNERE
JOSEPHI I.
LUSITANORUM, ET ALGARBIORUM REGIS FIDELISSIMI
ORATIO

ROMÆ HABITA CORAM SACRO EE. AC RR.
CARDINALIUM COLLEGIO
IN REGALI ECCLESIA LUSITANORUM
DIVI ANTONII


AB ATHANASIO CAVALLI
IN GREGORIANA UNIVERSITATE COLLEGII ROMANI,
PHYSICÆ EXPERIMENTALIS PROFESSORE.





ROMÆ MDCCLXXVII.
EX TYPOGRAPHIA MARCI PALEARINI
SUPERIORUM FACULTATE.



UM certum, exploratumque sit, experientia, & Religione magistra, EMINENTISSIMI, ac REVERENDISSIMI PATRES, omnes homines ex Naturæ lege Mortis imperio obnoxios esse, Mortemque ipsam Reges, pauperesque æquis proterere pedibus; Cum autem fato cedunt præclari illi viri, qui maximis rebus bene, feliciterque pro Republica gestis, ingentem sibi laudem pepererunt, non modo numquam extenuatur eorum gloria, aut nomen oblivione deletur,

ſed vitam ipſam etiam vivere videntur ſempiternam, donec extiturus eſt Virtuti honor, & decus. Docent id quidem luculentiſſime pervetuſta Romæ monumenta, magnifici arcus, & Templa ipſa veneranda, ac plena undique majeſtatis, quorum rudera, quicumque optimas artes probe callet, adhuc etiam ſuſpicit, atque miratur.

Quæ cum ita ſint, færales, tetræque mortis imagines, quæ circumvolitantes indicitis JOSEPHUM I. Luſitaniæ, & Algarbiorum Regem Fideliſſimum, poſt ſeptimum & vigeſimum Regni annum, inter bonorum, omniumque ſuorum lacrimas vita functum, procul, procul hinc faceſſite. Tuque Sacer Purpuratorum Patrum Senatus, qui Religione circumſeptus, ac Majeſtate, ſupremas funeris exequias Eidem perſolvis; Voſque ſacrorum Miniſtri, qui mœſti ac atrati expiationis hoſtias, propitiationis ſacri-

cri-

crificia, precesſque placabiles, ejulantes offertis, flebilium abſtinete quærelarum, ac Religionis parumpparcite parentalibus.

Egregia JOSEPHI I. optimi Regis edita facinora, quæ omnium ſermone celebrantur, & monumentis jam commendantur ſempiternis, luctum minime quidem, non gemitus a Vobis expoſtulant. Quid ergo? Hoc in Templo, Deo Veritatis ſacro, fieri ne umquam poterit, ut mendacii artibus inſerviens, vel aſſentationis placita ſequtus, ethnicas Romanorum apotheoſes inſtaurem? Abſit id quidem, AA; Licet enim aſſentatio, fatale illud blandimentum, dulcis Regnorum pernicies, Veritatiſque occulta inſidiatrix, viventibus ſemper Proceribus turpiter famuletur; Cum tamen diem claudunt extremum, illorum haud ipſa ſequitur funus, nec circa ſepulcra ſedet, ſed una Veritas tunc triumphat, eique inhæ-

ret Posteritatis judicium, quo ad severam, ac sæpe inclementiorem trutinam Principum opera revocantur.

Cum ergo JOSEPHUS omnia ad bene mœrendum de hominum genere, firmo quodam animi proposito, constantique voluntate contulerit, ac tanta insuper erga subditos clementia diuturni imperii annos exegerit, ut sane omnes cesserint Regni, & Societatis commodo, ac felicitati; Sperandum, jure censeo, ut quemadmodum Rex Propheta, omnia sua in supremi Numinis misericordia statuebat, cum ab ipso patratorum Religionis operum, & suæ mansuetudinis recordaretur, dicens *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus* (Ps. 132.); Sic vehemens desiderium, quo ardebat, & opus diuturnum, quod præstitit JOSEPHUS, pro bene, feliciterque Republica gubernanda, illudque insuper summa semper clementia,


tia, morum integritate, ac pietate comitatum, Ipſum quidem Deo carum citra dubium omne præſtiterit.

Qua de re, ſi interitum Ejus triſtes, lugenteſque omnes, ut concelebremus hic convenimus, conſolatione tamen dolorem leniendum arbitror, ſi oculos potiſſimum convertamus ad maxima illa, & numquam delenda gloriæ, atque humanitatis monumenta, quæ in Reipublicæ utilitatem reliquit; ſi nobiſcum reputemus, ex tot, tantiſque facinoribus egregie, ſanćteque geſtis, jam a Deo O. M. Miſericordiarum Parente, quod ipſi debebatur præmium retuliſſe; Leniri quidem etiam fas eſt ex eo, quod adhuc Ipſe vivat in ſua Filia MARIA FRANCISCA pientiſſima Muliere, quam omni virtutum genere, & eximiis præceptorum exemplis, qualia decent Luſitani Imperii Hæredem, inſtituendam quam diligentiſſime

me curavit, & in qua Eumdem, licet absentem, ita contemplamur animo, tamquam si adesset. Vivit etiam in PETRO Fratre MARIÆ Sponso, religiosissimo Viro, & Regni Socio præstantissimo, a quo etiam Ipsius desiderium quammaxime temperari, ac consolari experimur. A lacrimis ergo temperandum, dum in conspectu vestro, EE.PP., Sapientissimi AA, quotquot adestis, brevi oratione complectar, licet imperitus Orator, quæ fusiori, elegantiorique calamo pertractanda exponendaque fuissent, illustriora scilicet facinora JOSEPHI I. Lusitanorum, & Algarbiorum Regis Fidelissimi.



ETSI





Tsi Regis ambitio excitetur quandoque, & commoveatur ad laurea bellorum ſerta captanda, cum animus a blandiente quodammodo cupiditate comparandi ſibi nomen Domitoris Urbium, Populorumque inflammatur, ac impellitur; Nemo tamen negabit tunc ſolum eamdem probari aliqua ratione poſſe, cum Regnorum, & Majeſtatis jura, aut pro Reipublicæ bono, aut pro Religionis gloria tuenda ſunt, licet ſemper dolendum ſummopere ſit, teterrimum hu-

jusmodi opus, haud perfici posse, quin & ejus rectitudo, & moderatio, humano sanguine inquinetur.

Felix propterea Populorum Imperator, & Rector habendus ille est, qui noxium putans bellum gerere, eo solum intendit animum, ut quæ Religionis, & Regiæ Majestatis sunt, in tuto ponat, & eos, quos subditos habet, ab externis hostibus, & aggressoribus immunes faciat, tum ea in pace, ac tranquillitate ipsos conservet, qua internum, externumque commercium efflorescat, publicæ, & privatæ augeantur opes, & nova accrescant Populis incitamenta gloriæ, quà summa quæque attingere, & perpetuam, undequaque prosperitatem comparare conentur.

Cum ergo JOSEPHUS, ditissimum, florentissimumque Lusitanorum Regnum, jure hæreditario assequutus, nihil splendidius

dius habuerit a JOANNE V. Patre, magnifico plane Principe, ac Religione maximo, tum a MARIANNA, Austriacæ, nobilissimæ Gentis, piissima Matre Regina, quam exemplum ad maxima quæque bona peragenda pro egregia, ac strenua Lusitanorum Natione, nihilque pro optimis arreptis institutionibus magis cordi, magisque in deliciis Illi fuerit, quam bonum & velle, & facere, quis dubitabit eum beatum, ac felicissimum Regem habendum esse?

Revocate animo, si vultis, quicumque Eum paullo familiarius cognovistis, compositam illam in tanta dignitate, facilemque naturam, judicia in rem quamlibet prudentissima, rectum decernendi consilium; Reputate mentibus vestris perpetuam illam verborum, vitæque continentiam, flagrans ad omnia pietatis opera studium, sollicitam christianæ institutionis curam, effusam

in egenos, ac miſeros benignitatem, totam denique illam optimæ indolis rationem, quæ ubique admirationem, & benevolentiam commovebat; atque Ipſum prorſus quidem ad optimi Regis normam compoſitum jure prædicabitis.

Et requidem vera hiſce exornatus virtutibus cum primum ampliſſimi Regni, quod per quatuor Orbis partes extenditur, ſuſcepit habenas, de pace, quam Pater curaverat, in tota Ditione firmanda cum ſuis finitimis egit, & mirifico Religionis ſtudio incenſus, novos Epiſcopatus, quaſi totidem firmiſſimas arces, ad catholicæ fidei tutelam, ac munimentum erexit. Inde paternis circumſpiciens oculis Luſitanas res: Gens inclyta (dicere quodammodo viſus eſt), quæ Europæ nomen, & Religionem tanta cum gloria apud remotiſſimas, barbaraſque Nationes protulit, quæ nulli par-

cens

cens labori, periculo nulli, novas detexit in Orbe regiones, quamque ob res praeclare gestas terra, marique, omnes semper magni fecerunt, languori nunc, socordiæ, desidiæque se dabit? Hoc Deus avertat. Fiat Lusitanus se ipso major, præeatque Posteritati exemplo, ostendens quid, quantumque Rex in subditorum animos ingerere possit. Si enim Petrus Russiarum, & Ludovicus Galliarum Reges, mores, & animos suorum corrigere in melius potuerunt, ut novum efficerent quodammodo Populum; Eccur eos æmulari non potero, Lusitanos Ipse etiam ad primum virtutis, & gloriæ decus strenue revocans? Hæc secum ipse cum reputat, divino, & novo quodam veluti concitatus impulsu, nulli sumptui, nulli studio parcens, magnum adgreditur opus.

Cum igitur commercii ope, ac præsidio divitiæ affluant Populis, omnes proinde

de intendit nervos, ut idem propagaretur, ac juſtis legibus adminiſtraretur. Quare Negotiatorum Societates inſtituit, Parahenſem ſcilicet, & Maranoniam, Portucalenſem, Pernambucanam, atque Piſcariam in Algarbiis; Portoria imminuit, Collegium præfecit Negotiantium, cui publicam addidit ſcholam pro inſtruendis in mercatura adoleſcentibus, tum ut ipſa in honore eſſet variis ingenuitatis inſignibus, ampliſſimiſque privilegiis Mercatorum ordinem honeſtavit. Optimis, opportuniſque legibus latis de eradicandis ciſtaganis vinetis, atque de colendis tranſtaganis latifundiis, mire agriculturam, ac rem frumentariam promovit, plurimoſque ad laborem, & quæſtum adduxit homines, quos antea ſocordes, atque miſerimos ægre conſpiciebat. Ipſas perfecit artes, induſtriam, ſolertiamque Civium fovit; Officinas ſiquidem aperuit bombycinorum,

rum, lanificiorum, lineorum, leporinorum, vitreorum, teſtaceorum, ferramentorum, publicaque gymnaſia pro Sculptura, Architectura, & Plaſtica, ut Luſitania facta ſit artium domicilium, & rerum omnium emporium, ac totum illud lucrum, quod emanat ex commercio Regnorum ſuorum, tum ex eo, quod in Europa, in Aſia, in Africa, & in America peragitur, amotis etiam exterorum operibus, in Luſitanorum commodum prorſus cedat.

Quoniam autem venales horum res pleræque ad tranſmarinas deferuntur oras, & ex illis plurimæ adducuntur; Ecquis non videt, quantum interſit, ut navigatio omnibus promoveatur modis, ne hoſtilibus aggreſſionibus vel turbetur, vel minuatur commercium? Appoſite igitur JOSEPHUS Claſſem comparat, quantam Superiores Reges numquam conceperant; onerariis ad

quæſtum navibus liberum commeatum, quavis anni tempeſtate eſſe jubet, percuſſoque fœdere cum Marochianis, Mare a Prædonibus liberum reddit. Oh fauſta benefici Regis primordia! Tuum, Luſitania, nunc eſt Ejus ſuffragari votis, & obtemperare mandatis, ut germinet, fructuſque pinguiores ferat virtutis illud ſemen, quod tuis a Majoribus recepiſti.

Norunt omnes artem militarem illam evertere Societatem, quam firmare, vel cuſtodire intendit. At cum ex hominum pravitate facta ſit quodammodo neceſſaria, validius nunc illi adſcribitur totius politici ſyſthematis fulcimentum: Qua de re fortiſſimus, ac providentiſſimus Rex, ut Majeſtatis, & Civium ſuorum jura in tuto poneret contra Aggreſſores quoſcumque, atque ut bellum parando pacem firmaret, multiplicato inſuper Legionum numero, præcepta

de

de re, ac diſciplina militari conſcribenda jubet a Lippenſi Comite, militari gloria clariſſimo, eaque probata, & publici juris facta ab omnibus obſervari in poſterum præcipit; Studium rei tormentariæ reſtituit, ærariam officinam pro omni armorum genere amplificat, arces propugnaculis munit, & militibus, quibus auget ſtipendium, campeſtres, ac quotidianas exercitationes decernens, effrænem eorum cohibet libertatem.

At Foro, & Naturæ juribus etiam proſpicit JOSEPHUS. Quare legibus immortalibus latis, ſi quæ fraus irrepſerat in forum, vel ſi quid contrarium inoleverat optimis Civium moribus, correxit, ſuſtulit, emendavit; Repetundarum reos, quos novit, punivit; Neminem Magiſtratu fungi paſſus eſt, niſi integris moribus, & bona commendaretur fama; Luxum, quo Cives abrepti, corruptique in malam rem dila-

buntur, compressit, exsulavit; Et quod maxime humanitati carum, dulcissimumque dictu est, omnique prædicatione, & sempiternis celebrandum præconiis, Indos, & Æthiopes servitute exemit, licet fræmens contra mussitaret avaritia, ac dira Negotiatorum crudelitas. Per hanc quidem sanctissimam legem prima ab ipso restituta sunt jura humanæ turpiter oppressæ Naturæ, quæ nonnisi liberos cunctos omnino homines fecit, simulque debitum Religioni decus restitutum, quæ fraternam charitatem, per quam omnes æquales fiunt, perpetuo præcipit. Ast vero cum non tam periti Medici sit ingruentes morbos depellere, quam ne accedant præcavere, eos insuper in posterum omnibus Lusitanorum Civium juribus gaudere voluit. Hinc omnia illa abstulit mala, quæ jure inferri ab iis poterant, ut sese a diris eriperent vinculis, nec amplius

plius illa exiſterent exitia, quæ & a læſa Natura, & a juſta deſperatione expectentur. Ferra nimirum, ac venena compeſcuit, quorum viribus victimæ plurimæ, eorum adigente furore, mactabantur; hiſque omnibus Religio, & Humanitas pene triumphans, exultanſque ſucceſſit.

Oh utinam Reges omnes, Proceres, atque Populi, quibus ſummum imperium concreditum eſt, hac ætate præſertim, quæ Philoſophica dici gloriatur, irritum facerent, & abrogarent falſum, & abſurdum illud imperii jus, quo ſervitutis jugum, vel ſancitur, vel confirmatur. Quanto major foret liberorum Civium, Chriſtianorumque fidelium numerus, qui lubentes omnino induſtriam, operam, & laborem impenderent!

Nec tamen illud omne, quod JOSEPHUS in Reipublicæ bonum perfecit, in hoc dumtaxat verſatur: Majora, utique

 ſunt,

ſunt, ac durabiliora, quin & utiliora. Pro informandis enim ſubditis ad humanitatem, & civilem vitam, humaniorum litterarum publicos Profeſſores ſupra octigentos per totam Luſitaniam, & Colonias transmarinas ablegavit. Collegium nobilium Adoleſcentum inſtituit. Conimbricenſem reſtauravit Academiam, atque Olyſiponenſem, quibus optimas, & conſilio pleniſſimas ſtudiorum tradidit rationes, illaſque omni inſtrumentorum genere, ac Pinacotheca ornavit, atque locupletavit, ut facta ſint veluti propugnacula firmiſſima duo erroribus inacceſſa, & formidabilia, ubi obſervationibus, experimentis, matheſi, meditationibus, exercitationibus utiliora quotidie deteguntur naturæ arcana, tum Critice, quæ a prudentia temperatur, magiſtra, ſuperſtitionis nubes depelluntur, quæ Doctiorum etiam mentibus caliginem offundebant, nec quid,

vel

vel ſolidioris momenti veneranda antiquitas complectebatur, vel ab hiſtoria, vel a litteratura tradebatur, inſpicere ſinebant. Hinc caliginoſis profligatis temporum tenebris, Scholaſticorum depulſis ambagibus, ac turpibus omnibus fugatis erroribus, quos ignorantia, ſacros quodammodo præſtiterat, rationabilius factum cernimus Populorum in Fidem, ac Religionem obſequium, & Veritatis ſtudium magis, magiſque invaleſcens.

Nec ſane quidquam hinc metuendum habet ſancta, puriſſimaque Religio, ut meticuloſi blaterant nonnulli. Fundata enim cum illa ſit ſupra Veritatem ab Eo, qui Veritas ipſa eſt, & ad Veritatem hominibus viam, cum ſcientia ſternat, ſanctiſſima illius, magis inclareſcunt dogmata, ac intellectu faciliora redduntur, quo tutius infringi adverſariorum tela inſuper poſſint. Quid præterea? Religio in Solio ſedet una

cum

cum JOSEPHO, qui nimirum nec privatim eam intermiſit umquam, quin publice ad exemplum ſplendide coluit, ut præſto ſemper in omnibus Illi fuerit, eamque inſuper adeſſe voluerit, tamquam ornamentum præcipuum Magiſtratibus omnibus, ac Præceptoribus, qui ut aliis recte præeſſent, & ut alios probe docerent, non eligebantur alii, niſi quorum explorata omnino foret, & morum integritas, & fidei puritas. Portio enim hæreditatis hæc eſt, quam ſuis a Parentibus glorioſiſſimis accepit, quamque ad Regalen Sobolem tranſmiſit.

Felix ergo Gens illa, apud quam litterarum commoda, & ornamenta in propatulo ſunt, nec myſtice tantum in nonnullorum penetralibus dignoſcuntur, ſed attinguntur ab omnibus, quos bene vivere, & bene ſentire æquum eſt!

Poſt ergo tot maxima, atque utillima faci-

facinora, quæ Lusitanæ Genti pacem, atque perennem felicitatem comparabant; En horrendum insurgit Naturæ phœnomenon, quod omnia turbat, invertit, pessumdat. Cœlum obnubilatur, caligine obducitur, tota inde concutitur terra, & Olysipo, Urbs illa magna divitiis Americæ, Asiæ, & Africæ cumulata, quæ septem super colles, Tagi sedebat Regina, commovetur, dilabitur, & pene deformatur. Hinc mæror, anhelitus, pavor, ac terror omnes invadit, dum ignis ita miserandas reliquias corrumpit, atque consumit, ut superba, & plena Populi Civitas, tunc summa in calamitate versaretur. Nec Templa ipsa, a tanto exitio immunia sunt, ut Sacerdotes, ubi divinam exorent opem, vel sacra peragant, loco deficiant. Omnia tandem permixta cum essent, atque confusa, Cives exleges fiunt. Quilibet pavens, ac tremens asylum sub dio quærit, &

cla-

clamoribus omnia implens, de illata ſibi vel ſuis calamitate conqueritur. Oh diem vere teterrimum, ac nocte qualibet obſcuriori deteriorem, in quo elementa omnia invicem pugnantia Naturam ipſam veluti in primum Caos abeuntem portendere videbantur.

In tanta autem Luſitanorum omnium trepidatione, atque tumultu, JOSEPHUS inter Principes providentiſſimus, amantiſſimus inter Patres, Nautæ inſtar optimi, qui navem fluctibus jactatam, ac pene fatiſcentem in maxima maris procella conſpiciens, eam tamen feliciter in portum perducit, & omne, quod tanto infortunio, tantæque calamitati remedium afferri poteſt, ſedulo perquirit, & impigre adhibet, ut ſtatim in integrum, quammaxime fieri potuit, & civilia, & politica, & religioſa omnia reſtituta fuerint. Hinc Sacerdotes ad Sacra peragenda redeunt, Virgines Deo dicatæ iterum

rum ſacra ingrediuntur Cœnobia, iterum ſuprema Prætoria, ſupremaſque Curias repetunt Magiſtratus omnes, ut ſuo fungantur munere, & Civibus iterum propria aſſerant jura, tum Juſtitia, Abundantia, Pax, & Securitas, ſuas in Urbe Sedes nanciſcantur. Hinc Urbs ipſa, denuo excitatur elegantior, atque ſplendidior, extructis, ingenti ſumptu, atque incredibili plane cura Foris, Domibus, Collegiis, Bibliothecis, Xenodochiis, Licæis, Arcubus, Aquæductibus, Scalariis, Pharis, tum conſtratis iterum viis, erectis Obeliſcis, Statuis collocatis, excitatiſque Pontibus, & Molitionibus aliis, quibus Romana magnificentia inſtaurata videatur, & JOSEPHUS communi omnium plauſu, ac voce vere Magnanimus, Paterque Patriæ vocari promeruerit.

At proh Deum immortalem? Quam inſcrutabilia ſunt judicia tua! Quantaque in-

conſtantia cor hominis laborat ! Quis credat, A? Dum JOSEPHUS alienis calamitatibus ita commovebatur, ut eas aſpiceret tamquam ſuas; Dum totus eſt in eo, ut Luſitana Ditio, & Olyſipo magnificentior exurgat, ut comparet Civibus aptiores ædes, ut ipſis undique proſpiciat, & Annonæ ubertate fortunet; Dum ſapientiſſimis legibus artes omnes, ſcientias, publicam ſecuritatem, felicitatemque aſſerit, (quamquam Ipſe animo felix, beatuſque ſit ob maxima agitata, & peracta in aliorum utilitatem facinora) in tam dirum, ac nefandum diſcrimen adducitur, ut ea, quam aliis Ipſe largitur, ſecuritate deficiat, & clementiam, ac pietatem, qua unice commendabatur in juſtitiam, ac vindictam commutare compellatur.

Vix autem eidem, pro dignitate, ſatiſfactum fuit, ſemper Clementia, omnes Ipſius animi motus comitata eſt, & Ejus Cordi,

di, tamquam priſtinæ Sedi reſtituta. Quare ſi quis unquam Princeps hac præſtanter donatus eſt virtute Imperantibus quidem omnino neceſſaria, JOSEPHUS certe fuit, qui non tantum illius prætulit ſpeciem, ſed vere, & integre ipſam profeſſus eſt. Natura enim ipſa ſuavitatem quamdam induxerat ori ejus, quæ aſpicientes ſtatim alliceret, & ad benevolentiam conciliaret. Quid vero, ſi ſe tibi daret, ſi alloqueretur, ſi opem ſuam reciperet? Tum ſane in ipſo vultu intimæ cordis affectiones apparebant, ut ſi nihil daret, niſi verba, tamen verba ipſa ex animo profecta minime tecto, pro factis acciperentur. Clemens ergo ita fuit, ut jure meritoque de Illo prædicemus, quod de Julio Cæſare olim dicebatur, ita nempe clementem fuiſſe, ut pœnitere debuerit. Abſit tamen, ut quis proinde inordinatæ pietatis notam Fideliſſimo Regi inurendam putet. Equi-

 dem

dem ſcio maximum hinc detrimentum promanare in Rempublicam, ob juſtitiæ, quem generat contemptum. Aſt cum Clementia rationabilis eſt, nihil certe nobilius, nihil utilius eſſe Reipublicæ poteſt, ipſo Spiritu S. ſuffragante. *Miſericordia, & Veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus*. (Prov. 20.).

Et ſane tanta in JOSEPHO fuit, ut qui ipſam non ſuſpiciat, non magnam prædicet, non juſtam, rectamque decernat, injurius ſit Veritati, & cordi Principis, quod ipſa Comitas, & Humanitas efformaverat. Videte, quæſo, Auditores, an fucum vobis faciam, vel potius rem referam luculentiſſimo exemplo comprobatam. Recolite memoria quæ poſt Ejus luctuoſum interitum, primæ ad nos voces afflarunt. Conſtitutus in ſummo vitæ diſcrimine, ægre omnino fert tantorum vincula, & carceres, jamque ipſis veniam omnino

nino largiendam indicit, & Regiæ Filiæ, jamjam Principatum captaturæ hujusmodi indulgentiæ munus, gratum omnino demandat. Tum insuper monet, ac rogat, ut firmam servet, stabilemque concordiam Sacerdotium inter, & Imperium, charitatem erga subditos gerat; Templumque tandem, quod voti caussa in Deiparæ honorem inchoaverat, suæ ab ipsa acceptæ incolumitatis testem, perficiendum omnino committit.

Ah si clementissimus, & religiosissimus Rex omnem ætatem in Reipublicæ bonum consumpsit; Si animam habebat, ut Tertulliani verbis utar, naturaliter christianam, necessitate coactum cuncta, quæ offendiculo nonnullis fuerunt, vel quæ displicere potuerunt imperasse, dicendum est.

Utique, A, hæc ipsa, enim, declaravit in extremo illo vitæ puncto, in quo homo, etsi Rex, nil amplius habet, quod animo re-

condat. Quare jam morientem justissimum Regem, ac clementissimum, intuemini.

Mortis adventantis, terrificam speciem impavide respicit; Auxilia, & Religionis solatia, primus ipse requirit; Attentissime annos vitæ suæ scrutatur, & examinat; & peccata, si quæ habet Principis, ab hominis peccatis, quæ Naturæ imbecillitate patrantur, sedulo secernens, indutus hahitu Fidei, & Charitatis, piaculari expiatione delet, suosque facit gemitus pœnitentis Regis. *Et quoniam Rex sperat in Domino, & in Misericordia Altissimi non commovebitur* (Ps. 20.); Tandem morbi vi oppressus, at fortitudinis, & Religionis plenus, qualem decet christianum militem, & Regem, juxta exemplar Augustæ Gentis suæ, in christianæ Pacis sinu, diem claudit extremum. Quantum igitur ad humana, ac divina præsidium, unius hominis morte amisimus!

Si

Si ergo hiſtoria maximarum rerum geſtarum, ita nos ſæpe percellit, ut gravi afficiamur dolore, cum Heroes, quos immortales eſſe decebat, vita functos legimus; Ecquis, pro tot, tantiſque geſtis a JOSEPHO I. in Luſitanam Gentem, & univerſam Rempublicam, Eum, nunc morte deletum, non lamentetur, & doleat? Ecquis dein, humi provolutus, ad Regem Regum, qui aufert vitam Principum, ad Deum terribilem Regibus terræ, qui & in Angelis ſuis invenit pravitatem, precibus, & hoſtiis, non illum exorabit ut requiem, pacem, & refrigerium largiatur animæ pientiſſimæ JOSEPHI I. Luſitanorum Regis Fideliſſimi?

Accedat ſane, firma, quilibet, ſpe nixus, ea nempe, quæ piis dormientibus convenit, quæque etiam JOSEPHO REGE FIDELISSIMO digniſſima eſt. Chriſtianas enim virtutes, quibus Ipſe excelluit, Omnipoten-

tis

tis Dei, Misericordia accedente, Cœlitum Choro adscripsisse Ipsum non dubitamus. Quare exsulet luctus, recedant lacrimæ, absint querelæ. Præter spem optimam, quam habere nos æquum est de religiosissimo Rege, accedit MARIA FRANCISCA, Ejus Filia piissima, quæ Ipsi succedit Regina, quæ non tam in Regnum, quam in paternas virtutes, statim succedere visa est. Orta Ipsa ex Matre CAROLI Borbonici, Hispaniarum Regis gloriosissimi Sorore, quot non præstat, christianis, ac plane etiam regiis virtutibus, quas tam mirifice Borbonides omnes, perpetuo novimus exornare? Sponsa etiam, cum sit integerrimi, ac religiosissimi PETRI, JOSEPHI nostri Fratris; Quis non Pietatem, Religionem, Prudentiam, atque Justitiam, veluti una consociatas demiretur? Postquam igitur pro anima JOSEPHI Optimi Regis, sacris, pro more

per-

persolutis, Deum rogavimus, enixe etiam, omnibusque precibus Illum obsecrabimus, ut diutius pro Ecclesiæ bono, ac Lusitani Regni faustitate, foveat, atque conservet MARIAM FRANCISCAM Lusitanorum, Algarbiorumque Reginam Fidelissimam, PETRUM Regem, Ejus Sponsum, totamque Regalem Sobolem, quod unum nunc exoptandum, & in posterum quoque nunquam intermissis votis expetendum.



I M P R I M A T V R,

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Franciſcus Ant. Marcucci Epiſc. Montis Alti, ac Viceſg.

✠✠✠

I M P R I M A T V R,

Fr. Th. Aug. Ricchinius Ord. Prædic. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

